



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dispositio Et Perioche Historiae Evangelicae Per IIII.
Euangelistas contextæ, necnon Actuum apostoloru[m],
Epistolaru[m] quoq[ue] Pauli XIII. & Canonicaru[m] VII.**

Bullinger, Heinrich

Tigvri, 1553

VD16 B 9605

Liber XII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-35634

EVANGELIUM

Sepulchram cingunt, et ne ulla committeretur fraus,
lapidem siue operculum sepulchri obsignant, nimurum
ut uiuentem retinerent inter mortuos.

LIBER XII.

Resurrectio
domini.

Cap. 28.

POSTREMO hoc capite describit Matthaeus
gloriosam ex mortuis Iesu Christi domini nostri re-
surrectionem. Descedit de celo angelus domini, reuolu-
uit lapidem ab ostio monumenti, incusso telluri terre,
motu, prodit autem ilico rediuium et gloriosum domini
corpus. Porro quia angelus fulguris instar radiabat, cu-
stodes territi, non obstant resurgentem domino, sed fuga
sibi consulendum putant. Interea uenient mulierculæ
ad sepulchrum, portantes que parauerant aromata. His
apparet angelus ille domini, ac Christum uere resurre-
xisse docet, iubens ut protinus abeant, atq; resurrectio-
nem discipulis nuncient. Abeuntibus obuiam uenit ipse
dominus, rediuiuum exhibens se eis manifeste, praci-
piensq; ut resurrectionem suam ueram nuncient disci-
pulis. Dum haec fierent, milites illi sepulchri custodes,
quos modo statione suam reliquisse ac fugisse diximus,
in urbem uenerant, pontificibusq; uisa narrabant, quo-
modo descenderit de celo angelus, lapidem reuoluerit,
Christus rediuius prodierit, et quam illustris horribi-
lisq;

lisq; fuerit angeli species. Ad quod nuncium prorsus consternati, & amentes sacerdotes ac pharisei, pecunia corruperunt milites, qui sicut docti fuerant mentires, fabulam in uulgo excitarunt ridiculam, ipsis uidelicet dormientibus uenisse discipulos, ac corpus e sepulchro surripuisse.

Cæterum dominus Iesus manifestissime se suis uisen-
dum exhibens in Galilea, suos in ueritate fidei confir-
mat. Et quoniam omnia ea que in hoc libro hactenus
exposita sunt de doctrina, factis, morte & resurrectione
Christi ad communem totius generis humani salutem per-
tinent, ideo discipulos suos in totum mundum able= Ablegan-
gat, iubens baptizare ac prædicare euangelium omni creature, pollicens interim se quanquam corpore in cœlum ascendat, affuturum suis ac suæ ecclesiæ sanctæ
perpetuo ac in finem usq; saeculi.

D I D I C I S T I hactenus ex hoc sacrosancto S: Matthæi euāgelio, ô fidclis anima, I E S V M illum do minum nostrum Dei æterni & Mariæ uirginis filium sub Pontio Pilato crucifixum, uerum illū esse Christum siue Messiam saluatorem mundi, quem Moses & prophetæ prædixerūt uenturum in mundum. Hic quamuis deus sit uerus, & ab æterno consubstantialis patri, sub Augusto tamen Cæs. carnem ueram ex intemerata uirgine Maria assumpsit, & homo nobis per omnia, exce-

tur apostoli
in orbem
prædicatū
euangeliū.

EVANGELIUM

pro peccato, consubstantialis, factus est. Sub Tiberio Ces-
ueram sapientiam et religionem in Galilaea atq; Iudea
docuit, omnem superstitionem subuertit, miraculis quoq;
stupendis fidem sibi fecit, et omnibus beneficia, hacte-
nus in orbe non audita, praestitit, calamitosis et pecca-
toribus in primis. Tandem uero idem sacerdos et ho-
mia sponte sua se deo patri pro expiatione omnium to-
tius mundi peccatorum, obtulit, crucifixus secundum
scripturas, mortuus et sepultus. Resurrexit autem ter-
tia die proprio illo suo corpore quo sepultus fuerat, re-
surrexit inquam uere, ueramq; carnem, sed clarificatam
discipulis suis manifeste exhibuit. Eodem corpore uera
in coelum ascendit, conseditq; ad dexteram patris omni-
potentis, rex et dominus factus uniuersorum. Cuius
gratia merito atq; iuritate iustificantur quotquot cre-
dunt. Ipse enim est orbi a patre datus, iustitia, uita, salus,
et redemptio. Per ipsum uiuent a morte corporea ani-
mae nostrae apud deum. Per eundem excitabuntur et
corpora nostra in die iudicij, ut integri iam anima et
corpore cum ipso in regno dei uiuamus et letemur in
sæcula sæculorum. Cui sit laus et gloria semper.

F I N I S.